



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Exercitium Perfectionis, Et Virtutum Christianarum

In tres Partes distinctum

Rodríguez, Alonso

Coloniæ Agrippinæ, 1622

Cap. II. Religioso etiam cauendum, ne à consanguineis visitetur, quantum fieri poterit, & de communicatione per literas.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40093

ret, vt id fieret, & seiret elapsa hac occasione nunquam post similem se oblaturam. Idem & fecit P. Magister Faber, dum quinque à sua patria miliaribus abesset. Dumque P. noster Ignarius necessitate coactus Zogolam venisset, nunquam ad fratres domum, sed in Xenodochium diuertere voluit.

CAPVT II.

Religioso etiam cauendum, ne à consanguineis visitetur, quantum fieri poterit, & de communicatione per literas.

Visitationes consanguineorum cauenda.

Ephrem tom. 2. tract. de varia doctrina c. 53. Cap. 4. exam. 1. 2.

Pratum spirituale. Cyriacus fugit parentum conspectum.

BONO Religioso, qui sincere Deo seruire & profectui suo studere, & sine, propter quem ad religionem venit, potiri desiderat, huiusmodi consanguineorum visitationes, & in patriam profectioes vitandæ sunt: licet iusto titulo & colore fiant: sed ei enitendum, quantum poterit, vt commercium & conuersationem consanguineorum fugiat. Nec ei sufficere debet, si eos visum non eat, sed & laborandum, ne ab iis visatur. Ait sanctus Ephrem, vt cognatos moneamus & suadeamus, ne nos visant, nisi ad summum semel aut bis in anno. *Sed si inutilem illorum conuersationem penitus praecideris, melius ages.* Et merito inutilem vocat, eodemque verbo B. Pater N. in constitutionibus vitur; talis enim est. Et non solum nihil vtilitatis, sed potius damni multum adfert, vt dictum est. Vtque nobis constaret, quam Deo arrideat hæc sicitas, abstractio, & separatio à cognatis, nolle ab illis visitari; voluit idem Deus miraculo ostendere, & confirmare. In prato spirituali refertur, de sancto monacho, cui Cyriaco nomen, quod quodam tempore pater & materem visum veniebant, pulsabant cella ostium, sciens ipse qui essent, & ad quid venirent; ante ad Deum preces fu-

dit, vt liberaretur, neue ab illis videretur. Absoluta oratione ostium aperit, cella egreditur, à nemine tamen eorum conspectus est, nec animaduersum, cequis cella egredere; ipse vero procul inde abiit in solitudinem, nec redire voluit, nisi ante sciret illos abiisse. Et de Abbate Pachomio refert Surius, quod sorore eum visum veniente exire noluerit, vt illam videret, nee ab ea videretur, sed iussit illi per ianitorem nunciari: *Ecce audivisti me vivere. Bene valeo, vade in pace.* Vtile huic fuit responsum vt & Theodori matri, nam & hæc in monialium monasterio vicino mansit, & religiosa effecta est.

Nec solummodo visitationes, sed & communicationes per literas vitare debet religiosus, quantum in se erit; quod & illa, inquietem, & distractionem adferant. Vtque tu illos non visitans, multis te visitationibus expedias; sic & tu non scribens te multis eorum literis liberabis. Si tu noris homines relinquere, illi tua tibi negocia relinquunt. Totum à te dependet, si enim velis, ad omnia, quæcunque desiderabis media reperies. Iam patriam, domum, cognatos propter Deum reliquimus, conemur illa plane relinquere & illorum obliuisci; quo sic liberi & expediti simus, ad magis Dei reminiscendum, amandam & diligentius seruendum. Narrat Cassianus de quodam sancto monacho, qui valde orationi & contemplationi addictus erat, studebat cordis puritati & munditiei, vt talibus exercitiis necessarium est. Iam quindecim annos in solitudine vixerat, quibus exactis allatus ei ex patria sua Ponto literarum plurium manipulus à parentibus, cognatis & amicis. Recepto manipulo cepit apud se cogitare: si has literas legero, quorū cogitationum causæ erunt? quantæ vndarum differentia in corde exsurgent? vanæ lætitiæ, si prospere cum parentibus agatur; vel inutilis tristitiæ, si male? quorū dies eorum memoria, qui scripserunt, me detinebit, & orationis, & contemplationis meæ,

meæ, quietem & tranquillitatem tol-
lent? quot dies oculis meis obuersabun-
tur eorum facies & formæ, & uerba, quæ
scripserunt? Quanto has species obliui-
scar & illæ ex memoria delebuntur?
Quanto labore præteritum tranquillita-
tis statum & mundanorum obliuio-
nem, quæ nunc habeo recuperare eas erit?
Quid proderit corpore parentes reli-
quisse, si corde & memoria ad eosdem
redeam? & cum illis conuerter & agam?
Hæc dicens & apud se perpendens, ma-
nipulum literarum, ut allatus erat, in-
gnem conicit, inquit: *Ite cogitationes
patria, pariter concremimini, ne me ulterius
ad illa, qua fugi, reuocare tentetis.* Non
solum nullam epistolam legere uoluit,
sed nec manipulum dissoluere, nec no-
mina, nec signa videre eorum, qui scri-
pserant, nec superscriptiones adspicere,
ne characterem noscens, memoria eor-
um illi obreperet, & tranquillitatem &
cordis pacem turbaret. De beatissi-
mo Patre nostro Ignatio simile exem-
plum legitur. Quod iis conducit, qui-
bus non satis semel literas legisse, sed ser-
uant, ut post sæpius legant, iisque dele-
stentur, cognatorum memoriam re-
fricando. Si illas non combussisti non-
dum lectas, cur non comburis iam per-
lectas, & simul cum illis omnes sangui-
nis & carnis cogitationes, ne te amplius
turbent.

CAPVT III.

*Etiam predicationis titulo Religio-
so fugiendum consanguineorum
commercium, & profectio-
nem in patriam.*

QUIBUSDAM huiusmodi venit ten-
tatio, quod ire uelint in patriam &
cum cognatis agere, ut ibi concionen-
tur, & fructum spirituales animarum

faciant. Tentationibus huiusmodi bo-
no colore & fuce tectis & uelatis irrum-
pentibus, solet maus esse periculum,
quod non tentationes, sed iustæ ratio-
nes habeantur. Sanctissimus Bernardus
in uerba hæc: *Capite nobis vulpeculas par-
uulas, quæ demoliantur uineas:* dicit hanc
vnam vulpecularum esse, quæ intrans
fraude & specie recti solet multos per-
dere & destrucere. Et aliqui, quos dicit
sibi notos fuisse, hac ratione se perdi-
derunt, & putabant alios lucrifacere se
perdentes. Præsertim qui putabant fru-
ctum in parentibus & cognatis facere,
nam communiter illi apti non sunt, quod
non ita pridem cum eis luserint, ideo-
que eos non ea existimatione & obser-
uantia prosequuntur, quæ Euangelii
præconem deceat. Ideo & Christus Ser-
uator noster ait: *Amen dico uobis, quia ne-*
mo Propheta acceptus est in patria sua. Et
Deus uolens Abraham magnum præco-
nem & patrem fidelium constituere, ius-
sit ut patriam exiret, & cognatos ami-
cos & notos relinqueret, & iret in Me-
sopotamiam, ubi à nemine nosceretur.
Dumque sanctus Paulus Hierosolymis
in templo in oratione esset (quod con-
sideratione dignum) dixit illi Deus, ut
inde discederet, & gentibus prædicaret,
quod Hierosolymis fructum non esset
facturus: *Non recipient testimonium tuum
de me.* O Domine hic notus sum, educa-
tus ad pedes Gamalielis, & sciunt me
persecutum fuisse, credent in te, & dum
alii sanctum Stephanum lapidabant, cu-
stodiebam ego vestes eorum. Vade, non
capis, exi ciuitatem hanc, in qua notus
es, uolo te gentium prædicatorem face-
re: *Ego in nationes longe mittam te.* Vbi
notus non eris, copiosum fructum fa-
cies. Et uideris tibi fructum in patria
facturus: & quid fructus inter consan-
guineos facere poteris? Quomodo illis
poteris prædicare & persuadere ut mun-
dum & delicias contempnant; dum uide-
runt te inter carnem & sanguinem in de-
liciis habitum?

Bern. serm.
64. sup. Can-
tica.
Cantic. 2. 15.

Luc. 4. 24.
Abraham
patriam de-
savit.

S. Paulus
Hierosolym in
discedit ad
gentes.

Act. 22. 28.